



**L**udovicus Lucernæ apud Heluetios honestis parentibus natus est, annum circiter millesimum quingentesimum. Cum is fœlici indole præditus esset, à pueris operam literis dedit, atque prima fundamenta egregiè iecit. Postea sese ad uicinam Basiliensem Academiam contulit, atq; artibus & linguis præclaram operam nauauit, ita ut etiam publico artium gradu & testimonio exornaretur. Postea uerò illustrium quorundam adolescentium præceptor constitutus, cum ipsis exteras nationes inuisit, atq; in Gallia & Italia per aliquot annos studiorum causa permansit, & suos discipulos optimè instituit. Ex ijs quoq; Erasmus

baro à Lympurg ( qui hodie celebris Ep scopus Argentinensis agnoscitur ) atq; Marcus & Ioannes barones, ex illustri familia Fuggerorū prognati, extiterunt. Interea tamen Ludovicus magna diligentia Philosophiæ studio incubuit, atq; Medicorum libros feliciter percurrit. Itaq; in ijs talem eruditionem adeptus est, ut etiam uiris doctissimis connumeraretur. Quin etiam hisce studijs sacrarum literarum lectionem cōiunxit atq; præclarum in ijs sibi iudiciū comparauit. Accedebat huic eruditioni etiam religionis amor, atq; uitæ integritas. Itaq; factum ut magnum sibi nomen acquireret, atq; quibusdam principibus gratus esset, præsertim ijs, quos prius in omni genere uirtutum & literarum instituerat.